

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A.1565.

PARS TERTIA.

187

dixit: hoc eī minime denegandum esse puto. Sed hæc tēcum habetō. Bene  
vale. Datum Tubingæ, festinantisſime, XXI. Martii anno LXV.

T.

Grempius.

Inscriptio:

Clarissimo viro, D. Joanni Marbachio, Sacre Theologia  
Doctori & Evangelium Argentina docenti. D. & Amico  
suo obſervando.



LXX.

**S**alutem per CHRISTUM JESUM. Plurimum te, Reverendiss. Do-  
mine Doctor, per DEUM oro, ne mihi in malam partem interpreteris,  
quod nunc quidem de causa satis ardua ad te scribere sim ausus. Perlatus  
est ad nos rumor, cui tamen omnino fidem habere nondum possum, Illustriss.  
principem Wirtebergensem, (quidam Wolfgangum Palatinum nominarunt)  
ad conditionem certam vocasse Clarissimum virum, D. Doctorem Heshusium,  
vel saltem vocare voluisse: sed tua & aliorum autoritate præstantium viro-  
rum dissuasione vocationen hanc impeditam, quod sane de tua ego dignitate  
haud credam, nisi forsitan Magdeburgensem scriptis, suum antea in Germa-  
nia inauditum erga DEI ministros & detestandum facinus secutis, permo-  
tus sis credere, se rem ita, ut quidem illi non satis candide narrant, habere.  
Volui igitur ex dilectione clam tibi subindicare, Magdeburgensem Senatum  
nunquam neque coram DEO, neque coram Ecclesia, hoc suum factum, quod  
indies peccatis cumulant, excusare aut defendere posse. Excommunicatio  
illa, quam ita Magdeburgenses exaggerant, nihil ad Heshusium: & quam-  
vis in Regulam & Exemplum trahi non possit, eam tamen ego improbare ne-  
queo. Necessitas etenim postulavit, omnibus silentibus & remotis ab officio  
illis, quib⁹ res serio curæ erat, ut indicaretur Senatu & falsis fratribus, quam Dei  
indignationem & poenam incurrisse; præsertim cum ad hunc usque diem  
peccatum negare non possint, & proh dolor quotidie augeant: quod subinde  
nobis magna Ecclesiæ istius pars & multi pii gemitibus conqueruntur. Si  
igitur alicubi, mi Doctor, juvare & promovere D. Heshusium poteris, ne quæ-  
so te adversariorum calumnias detergere sinas. Novit Sachanas, quid sibi  
Vir tantus nocere possit, ideo ubique illi se opponit. Parce amabo libertati,  
& apud alios quoque innocentiam hujus viri tuere. Vale 1565. 26. Martii.

T.

Cyriacus Spangenbergius.

LXXI.

Aa 2